sata fuit Azoni marchioni de Lombardia de castris proprie Calyn et Esten, quas lucratus est ei Welpo. Hic accepit in uxorem Juttam relictam Harordi de Anglia, que fuit filia Roperti comitis de Flandria. De hac Jutta idem Welpo genuit duos filios, ducem Welponem dictum iuvenem et Hinricum Welponem antiquum, quorum unus accepit in uxorem Mechtildam de Lombardia. Hic moritur sine liberis dimisitque ducatum suum Hinrico; ~~Qui~~ qui Hinricus dux accepit in uxorem Wulfildam, filiam Magni ducis Saxonie, quem habuit a Sophia ducissa, que soror erat Koladislaj de Ungaria; quorum duorum pater dux Welpo, habuit etiam primitus aliam uxorem, scilicet Etelingam, que fuerat filia Ottonis† ducis de Bavaria nata de Saxonia. Hic fuit nobilis et potens, nolens obedire, sed contrarius esse Hinrico (cui) quarto rege Romanorum et imperatori, cui tamen resistere non potuit, et tandem expulit eum a ducatu suo, licet minus iuste, et dedit ducatum Welponi sororio suo. Hic Welpo[a] repudiavit Etelingam uxorem suam et quare causa ignoratur adhuc hodie; quam postmodum Hermannus comes de Westfalia accepit in uxorem, qui etiam vocatus est de Carvela[b]. De qua genuit Hermannum dictus comes iuvenis. Hic Hinricus frater Welponis, de quo prius scriptum est, audivit ab antiquis temporibus temporibus a primo Ethicone, scilicet Welpone, quomodo fugasset a filio suo in montana et ibi mansisset tempore vite sue et ibi sepultus esset, volens scire veritatem, misit effodere tumulum eius ac illorum, qui secum obierant. Qui invenit ita esse, fecit construi ecclesiam super tumulum et cura avi sui. Ipse etiam extumulavit Conradum episcopum Constanciensem

† f. ccxl1 d.

a) superscr. eadem manu

b) Carula c.

tpa